



**I**oannes natione Germanus à teneris annis literarum studijs incubuit, atq; post prima rudimēta percepta sese ad varias Germaniæ Academijs, Vuitebergensem præsertim, contulit. In ijs liberalibus artibus, & in primis Mathematicis disciplinis, incubuit, atq; earum magnum sibi usum comparauit. quin etiam Historiarū lectione delectatus, eas in ordinem redegit, atq; suis uigilijs plurimūm illustrauit. Scripsit enim libros Chronicorum de quatuor mūdi Monarchijs, atq; in ijs Melanchtonem adiutorem habuit. Illi primò 1538 Vuitebergæ Germanicè editi, hodie Latinè & Germanicè ab omnibus historiarū studiosis magno applausu circumfe-

runtur. Itaq; ipse eos tandem per annos 20 continuauit, atq; ut Basileæ 1564 per D. Oporinum ederentur, curauit. Scripsit etiam Carion pro sua eruditiōe practicas Astrologicas, atq; aliquot annorum Ephemerides, quarum una continebat iudicia & præfagia ab anno 1536, usq; ad quatuordecim proximè sequentes, hoc modo contigit, ut Ioannes omnibus doctis innotuerit, & præclarum eruditionis nomen sibi compararit. Con. Gess. in Bibliotheca.